

¶ Medius uerusq; Saturni & Iouis motus
inuestigandi sunt.



PRIMO in tabula radices quære annum tuum propositum, cuius uerum planetæ locum uoles inquirere, & circa illum annum reperiens signa & gradus radices, hæc numerata in limbo seu orbe exteriori rotulæ immobilis, & super ea extende filum centri. Deinde ingredere tabulam mensium, quærendo in ea mensem & diem propositum, ad quem scilicet æquabilem planetæ inquirere uolueris, & gradus assignatos cum ascripta litera notato, rotulam autem mobilem hinc inde moueto, donec eiusdem litera & gradus iam iam inuenta præcise cadant sub filum centri, In hoc enim situ medium planetæ motum tempore dato, index ostendet in orbe exteriori rotulæ immobilis. Cum igitur uerum eiusdem locum uelis inquirere, rotulam mobilem ita inuariatam seruato, ad medium planetæ motum positam, & gradus æquationis centri, quos sextans est mobili rotula ablatum, circa characterem planetæ indicat, considera, addendi ne sint an subtrahendi, Demendi autem erunt, cum in albam rotulæ immobilis regionem ipse sextans incidit, in rubra uero addendi ad æquabilem illum planetæ motum, & denticulum seu indicem rotulæ mobilis super eam pone. Postea ea sic immota permanente, accipe filum centri, idq; applica diei mensis propositi in immobili rotula numerati, quod inter signa & gradus mobilis rotulæ indicat argumentum medium planetæ. His etiam ita ne utiquam uariatis, argumentum medium planetæ in epicyclio, quod depictum est, in mobili hac rotula numerata, & termino numerationis applica indicem uolubilis rotulæ, filumq; centri super punctum, cui planetæ propositi character in uolubili hoc orbe est ascriptus, extende, quod in exteriori immobilis rotulæ ambitu, inter duodecim signa Zodiaci uerum planetæ temporis dati locum indicat.

¶ Canonis huius exemplum de Saturni motu.



INQVIRAM ad annum Christi 1522 currentem, & 20 diem mensis Iulij uerum Saturni locum. Ingredior igitur tabulam radicum Saturni cum annis 1522, & circa eos inuenio 23 gradum, radicem scilicet Saturni illius anni, super quam extendo filum centri. In tabula deinde mensium quæro 20 Iulij, diem nempe datum, quem cum non inueniam, ad diem aut 14 Iulij 7 gradus assignatos, & ad 12 Augusti 8 gradus reperiens, æstimo ad 20 Iulij medium Saturni motum esse 7 graduū, quos sub A litera in tabula mensium reperiens. Literam itaq; A cum septem gradibus quæro in mobili rotula in exteriori eius orbe, & ea duco sub filum centri quod situm est super radicem medijs motus Saturni, his ita immotis, index mobilis rotulæ indicat in

i ij exteriori